

GESTA ABBATUM MONASTERII S. JACOBI LEODIENSIS.

Parmi les documents recueillis par les Bénédictins de Saint-Maur en vue de composer leur *Monasticon benedictinum* ou le *Gallia christiana*, nous avons remarqué à la Bibliothèque Nationale de Paris une petite chronique de l'abbaye de Saint-Jacques de Liège (Fonds latin 17797, fol. 93-102 ; jadis Blancs-Manteaux, 21, C.), qui nous a paru présenter quelque intérêt pour l'histoire de ce monastère⁽¹⁾. Quoique les passages relatifs aux abbés du XV^e siècle fussent évidemment l'œuvre d'un contemporain, nous nous demandions cependant si cette chronique n'était pas une compilation du XVII^e siècle faite en vue des travaux des Mauristes. Il est certain que l'auteur de la notice sur Saint-Jacques de Liège dans le *Gallia* (t. III, 980 sqq.) a puisé dans cette courte chronique pour fixer la date du gouvernement des abbés et l'endroit de leur sépulture. Mais le genre d'abréviations reproduites par le copiste du XVII^e siècle, et parfois assez maladroitement, nous porte à croire que nous sommes en présence d'une chronique du XV^e ou du commencement du XVI^e siècle à laquelle on fit quelques ajoutes. Si nous possédions encore les histoires manuscrites de Saint-Jacques par Gilles Gryte et par Pietkin, peut-être serions-nous à même de faire la lumière sur ce point. Quoi qu'il en soit de l'origine de cette chronique, elle a du moins le mérite de fournir des détails intéressants sur la période souvent la plus obscure de l'histoire de nos anciennes corporations monastiques.

L'abbaye de Saint-Jacques fut, au XV^e siècle, un des foyers de la réforme bénédictine. Grâce au zèle des abbés Renier de Sainte-Marguerite et Roger de Bloemendael, la discipline régulière fut restaurée dans un certain nombre de monastères par des moines de Saint-Jacques : à

1. Ce manuscrit est indiqué dans Pertz, *Archiv. f. aelt. deutsche Geschichtskunde*, VIII, 284.

Florennes, à Saint-Mathias de Trèves, réforme qui fut le point de départ de la célèbre Union de Bursfeld, à Saint-Paul d'Utrecht, à Vlierbeck, à Saint-Hubert, à Stavelot et à Gembloux. Gembloux, à son tour, propagea ce mouvement à Cortenberg, à Saint-André de Bruges et à Saint-Trond. Les détails intimes que l'auteur de la chronique donne sur cette période permettent de se rendre un compte plus exact de la vie intérieure des monastères à cette époque.

Les sources où l'auteur a puisé ses renseignements sont, pour la période antérieure au XV^e siècle, le *Vita Balderici*, le *Gesta abbatum Gemblacensium*, Lambert le Petit, Anselme, Reiner, Gilles d'Orval et tout particulièrement les *Annales S. Jacobi Leodiensis*, d'après l'original conservé à Darmstadt, publiées au tome XVI des *Monumenta Germaniae, Scriptores*. Nous avons eu soin d'indiquer en note les documents utilisés, et parfois nous avons ajouté quelques détails de nature à éclairer le texte.

DE FUNDATIONE ABBATIAE SANCTI JACOBI LEODIENSIS
ET DE GESTIS ABBATUM.

Anno a nativitate Domini millesimo quintodecimo « *VII Kal. Maii* » (1) bonae memoriae Baldricus secundus hujus nominis episcopus Leodiensis XVIII^{us} post beatum Lambertum, omni morum honestate praeclarus, et vir generis nobilitate conspicuus, senior filius comitis Lossensis, cujus duo fratres juniores Arnulphus et Gislebertus fuere comites patricii et consules, coenobium sancti Jacobi in insula Leodii inchoavit, et ibidem criptam « *in honore sancti Andreae* » perfectam consecravit, « *ibique preciosas* (a) *ejusdem apostoli reliquias, quas ei imperator Henricus thesauris praelatas regiis in beneficio dederat, modeste et reverenter collocavit* » (2). Deinde fratres ibidem sub regula et abbate servientes, quos cum sanctis apostolis redemptionis animae suae fidemissores esse decreverat, quorum amabiles primitias quas ibi jam ad cultum Dei constituerat, cum postmodum interrogasset quem ecclesiae praedictae advocatum vellent, continuo fratrem suum Gislebertum comitem de Loos (b) elegerunt. Et libenter annuit petitioni ipsorum, sperans a nullo fidelius ac rectius quam ab ipso et ab haeredibus ejus detineri ac foveri. Obiit autem anno Domini 1018, sui episcopatus anno XI, sepultusque est in crypta praedicta (3). Baldrico successit Walbodo qui ad praeceptum Henrici imperatoris arcem coenobii praedicti perfecit (4) et Olbertum abbatem de

a. Cod. preciosos. — b. Lons.

1. *Vita Balderici*, n. 19, ap. M. G. SS. t. IV, 731. — 2. Ibid. — 3. Ibid., n. 28, p. 736. — 4. Ibid., n. 31, p. 737.

Gemblaco subrogatum, patrem monachorum et primum abbatem praefecit anno Domini 1021, et obiit Walbodo eodem anno. Et postea a Reginardo episcopo Leodiensi eadem ecclesia consecratur anno Domini 1030, VIII. Kal. Augusti (1).

Nomina abbatum S. Jacobi. I. Olbertus quidam vir magnae devotionis assumptus ex monasterio Lobbiensi quartus Gemblacensis coenobii abbas, a Domino Walbodone episcopo Leodiensi primus Sancti Jacobi constituitur, anno scilicet Domini 1021 (2). Hic quidem Olbertus « *colligens hinc inde viros bene directos ad normam disciplinae regularis et maxime ex disciplina Richardi abbatis Lobbiensis qui tunc temporis ubique praedicabatur in fervore sanctae religionis primus* (a) *illic propositum monasticae professionis instituit, et quoad vixit, locum illum ad laudem Dei et hominum strenuissime gubernavit* » (3), viginti et octo annis, videlicet usque ad obitum Wazonis Leodiensis episcopi, de quo Wazone legitur quod a clero pariter et populo potius fuit raptus quam in episcopum electus (4).

Hic Wazo cum ad extrema venisset, Olbertum abbatem Sancti Jacobi ab ipsis pueritiae annis « *coevum* » sibi et « *collegam* », sed et in divinae legis meditatione « *consecratiorem* » vocavit (5) et « *ab eo in nomine Domini secundum praeceptum apostoli Jacobi expetiit inungi* » (6). Abbas, vero Olbertus « *ad peragenda circa eum sanctae unctionis obsequia sacerdotali veste induitur. Quo propinquante, beatus Christi sacerdos licet carne praemortuus, mente tamen et spiritu vividus, virtute divina suffultus, quantulo valuit annisu e lectulo surrexit, coram altari genua flexit, et audientibus qui aderant confitendo peccata sua cum summa cordis contritione replicavit. Cumque de cunctis quorum reminisci potuit coram Deo se reprehendisset peccatis, suggerit abbas reverenter, ut si quid aliquando in imperatorem deliquisset, confiteri non omitteret, respondit ille securum se prorsus esse imperatori nunquam nocuisse, sed in hoc solo se esse culpabilem, quod cum esset a culpa immunis, humiliatione injusta se pedibus ejus advolvisset et inde suspicionis notam videntibus praeberisset, insuper et sacerdotalem dignitatem laicali personae subicere non timuisset. Sic tandem eo post actam confessionem a peccatis absoluto, solemniter cum psalmis et orationibus ad id officii pertinentibus sacer praesul a praefato abbate per sacram unctionem in viam pacis et beatae quietis dirigitur* (7) ». « *Peracto inunctionis officio cum missionem peteret ab episcopo et adhuc de spe vitae fiducialiter quaereret ab eo, episcopus tactus spiritu divino : « hodie, inquit, non moriar, o amici mei, sed cras in Christi nomine succurrite mihi. » Ille desperans de vita amici, resolutus in lacrymis, nec valens temperare dolori : « non sinat, inquit, Deus me septem dies supervivere tibi. » Et ad monasterium Sancti Jacobi quod una cum Gemblacensi coenobio regebat regressus, coepit destitui corporis viribus, mox etiam vexari acriter febris. Quid*

a. Cod. Primum.

1. Lamb. Parv. *Annales*, ap. M. G. SS. t. XVI, 646. — 2. Cf. *Gest. abbat. Gembl.* n. 35, ap. M. G. SS. VIII, 538. — 3. *Gesta*, n. 35, p. 536. — 4. Cf. Anselm. n. 46, ap. SS. XIV, 113. — 5. Anselm. n. 70, ap. SS. VII, 232. — 6. *Gest. abb. Gembl.* n. 44, ap. SS. VIII, 541. — 7. Aegid. Aureævall. Lib. I, n. 110, ap. M. G. SS. t. XXV, p. 74, ex Anselm. n. 70, ap. SS. VII, 232-233.

multa? Secundum praedictum et votum piorum virorum, crastino die, quod est VIII. Idus julii, episcopo migravit ad Dominum; abbas autem Olbertus qui episcopo dimidio animae suae septem dies super vivere noluit, ipso septimo die, quod est pridie idus julii, felicem spiritum reddidit anno scilicet Domini 1048 (1), « ut constaret hoc mystico dierum numero ob aequalis vitae meritum ambos a mundi hujus voragine in unam sempiternae beatitudinis requiem esse receptos. Migrant igitur, migrant ad suum factorem, felices justorum animae multiplici studio pietatis exercitatae, lapides utique vivi (a) ad coelestis Jherusalem aedificium colliguntur, alter corona clericorum, alter decus monachorum » (2), unde scribitur epitaphium de Wazone: Ante ruet mundus quam surgat. Wazo secundus (3); de Olberto autem scribitur:

Hic jacet abbatum decus et monachorum
Abbas Olbertus flos paradise tuus,
Praefuit ecclesiis normali tramite binis,
Legia corpus habes, Gemble carendo doles (4).

Olbertus praefuit viginti et octo annis; obiit anno Domini 1048, pridie idus julii sepultusque est in medio chori sub corona.

II. Albertus praefuit decem et octo annis, cujus diebus, octavo scilicet ordinationis suae anno, fuerunt deportatae reliquiae sancti Jacobi majoris et Bartholomei apostolorum sanctorumque Sebastiani et Panchrati martirum « a Compostella vico Galiciae, quas nobilissimus rex Garcia (b) misit Theodevino episcopo Leodiensi per Robertum monachum postea abbatem ecclesiae Sancti Jacobi anno Domini 1056. Hae cum tanto honore et populi jucunditate miraculisque coruscantibus ad ecclesiam Sancti Jacobi praedictam deportatae sunt, ut majorum nostrorum aetas laetiores diem prius nec postea meminere se vidisse (5) ». Eodemque anno Stephanus papa nonus misit Theodevino episcopo Leodiensi superhumeralia cum preciosissimis reliquiis, scilicet de ligno Domini (6) et duo brachia sanctorum apostolorum Jacobi Alpei et Bartholomaei, quas Godefridus dictus Barbatus, dux Lotharingiae, frater ejusdem Papae in castro Bullonensi excipiens, portavit easdem praedicto episcopo in castro Hoyensi; quas reverenter episcopus accipiens duxit eas navigio ad ecclesiam nostram ibique coram clero et populo civitatis missam celebrans prima vice superhumerali usus est; qua finita, tradidit dicto monasterio brachium S. Jacobi, ecclesiae vero S. Bartholomaei brachium S. Apostoli, lignum vero dominicum majori ecclesiae Leodiensi detulit (7).

a. Cod. Bini. — b. Cod. Garsea.

1. *Gest. abb. Gembl.* n. 44, ap. SS. VIII, p. 54r. — 2. *Aegid. Aureaevall.* I, 110, p. 75. — 3. Cf. *Ibid.* — 4. Cf. *Gest. abb. Gembl.*, n. 45, p. 54r. — 5. *Lamb. Pary. Annal.* ap. SS. XVI, 646. Cf. *Annal. S. Jacob.*, *ibid.*, 638; et SS. XXV, 86, note 1. — 6. Cf. *Aegid. Aureaevall.* II, 6, ap. SS. XXV, 82; cf. p. 86, notes 4 et 5. Gilles d'Orval a inséré dans sa chronique (II, 6, pp. 82-86) l'histoire de cette translation composée par un moine de Saint-Jacques après la mort de l'abbé Robert († 1095), d'après la relation de témoins oculaires. — 7. Cf. *Aegid. Aureaevall.* III, 8, p. 86.

III. Stephanus praefuit decem annis; obiit vero anno Domini 1076 (1) V. Kal. Augusti. Jacet inter capellam S. Lamberti et capellam S. Stephani.

IV. Robertus qui praefuit 19 annis, villam quae appellatur Domini Cirici cum omnibus appendiciis suis et multa alia acquisivit (2). Obiit anno 1095 (3), XIX. Kal. Februarii. Jacet in primo gradu cryptae versus dormitorium.

V. Stephanus « *vir magnae scientiae et summae honestatis qui cantum B. Benedicti et sancti Jacobi majoris aliaque praeclara mirifice composuit* » (4), praefuit 17 annis; obiit autem anno Domini 1112 (5) X. Kal. Februarii. Jacet sub gradibus dormitorii, ante capellam S. Benedicti.

VI. Olbertus praefuit 22 annis; obiit autem anno Domini 1134 (6) IX. Kal. Octobris. Jacet ante capellam S. Lamberti. Tempore istius Olberti, Richardus canonicus, custos et cardinalis reverendus ecclesiae S. Jacobi de Compostella vico Galiciae famosissimo, cum certas ob causas legationis officio functus Leodium veniens, ecclesiam S. Jacobi visitasset eamque preciosis reliquiis B. Jacobi reperiens honoratam, litteram etiam fraternitatis initae cum canonicis Compostellae sollicitè perlegisset, studuit devote eandem renovare fraternitatem renovatamque plurimum augmentare, preciosissima etiam pignora ejusdem apostoli de sanctuario suo quae usque hodie apud praedictum monasterium reservantur, largiflue dictae ecclesiae condonavit, supperaddens insuper ex autoritate sedis apostolicae largas indulgentias cunctis qui per octavas supradicti apostoli praedictum locum devote studuerint visitare anno Domini 1114 indictione VII (7).

VII. Stephanus praefuit quatuor annis; obiit autem anno Domini 1138 (8), VII. idus Januarii; jacet ante sacrarium sive custodiam in descensu dormitorii. Iste abbas conquestus fuit episcopo Leodiensi de violentia quam sibi fecerat S. Lamberti prepositus vi extrahendo cognatum suum extra monasterium ejus; sed episcopus nolens advertere nec sibi justitiam facere, ait abbas preposito: « *judicem contra te habere non possum in terris, et ideo contra te Deum summum judicem interpello in coelis, et infra quadraginta dies, uterque nostrum coram illo appareat sententiam pro meritis accepturus.* » Quo dicto, ambo quadragesimo die mortui sunt, et justum Dei judicium acceperunt (9).

VIII. Albertus praefuit 12 annis et orbatus lumine dignitati abbatali renunciavit (10); obiit autem anno Domini 1150 XVII. Kal. Januarii; jacet in capella S. Benedicti.

1. Lamb. Parv. XVI, 646. — 2. Cette acquisition du domaine de Donceel faite en l'an 1084 (*Bulletin de l'Institut archéologique liégeois*, t. XIV, p. 257), fut confirmée par l'empereur, à la demande de l'abbé Robert, le 23 avril 1088 (Stumpf, *Die Reichskanzler*, III, 453. — 3. Lamb. Parv. 647. — 4. Ibid. — 5. Ibid. — 6. Ibid. — 7. Cf. Ægid. Aureævall. III, 6, pp. 82 sqq. — 8. Lamb. Parv. 647. — 9. Cf. Thomas Cantiprat. *Liber apum.*, II, 35; Chapeville, II, 193; de Theux, *Le chapitre de St-Lambert*, I, 99-110. Il s'agit ici du prévôt Steppon, mort le 4 juillet 1138 (de Theux, p. 99). Son successeur, dans la dignité de prévôt, Frédéric de Namur, figure en cette qualité en 1139 (ib. 124). — 10. La renonciation d'Albert est indiquée à l'an 1150 par les *Annales S. Jacobi*, p. 641 et Lamb. Parv. 648. La date de sa mort nous semble ici faussement indiquée. Le *Gallia Christ.* (III, 981), donne l'année 1167 (al. 1160) comme date de la mort d'Albert.

IX. Stephanus praefuit quinque annis et « *importunitate Gerardi cardinalis* » (1) praesidentiae resignavit anno Domini 1155 (2). Obiit idibus (a) octobris; jacet ante capellam S. Stephani.

X. Drogo piaie memoriae de Florinis praefuit 18 annis; obiit autem anno Domini 1173 (3), idibus (b) septembris et jacet in medio ecclesiae ante crucem. Hic Drogo « *vir summae honestatis fuit qui in diebus suis decoravit ecclesiam suam ornamentis moribusque ecclesiastici ordinis et substantia rerum temporalium. Ipse sublimavit in altitudine turrim templi cooperuitque laminis plumbeis; cooperuit etiam ipsum monasterium lapidibus et aedificavit altare S. Joannis Baptistae et altare S. Mariae in turri fecitque parietem de sculptis et politis lapidibus et decur-sionem Mosae per ortum pomerii, et parvum molendinum construi fecit et multa alia* (4). »

XI. Hugo praefuit 12 annis et tunc deposuit curam pastoraalem anno Domini 1185 (5), qui, ut in posterum claret, fuit reelectus et 15^{us} abbas reinstitutus.

XII. Hermannus praefuit 3 annis; obiit autem anno Domini 1188 (6) VII. idus Decembris; jacet ante capellam S. Benedicti.

XIII. Gosuinus, qui fuerat monachus S. Laurentii, praefuit 19 annis et postea sponte resignavit curam pastoraalem anno scilicet Domini 1197 in die Marci evangelistae (7).

XIV. Gerardus, monachus et abbas S. Laurentii, vir juvenis sed providus et magnae industriae « *et in omnibus locis abbatiae S. Jacobi amicis optimis; qui prius sua diripiebant, vallatus et munitus eligitur, cui episcopus statim in capitulo S. Jacobi donum abbatiae ejusdem contulit, et fidelitatem ejus accipiens in chorum cum monachis Te Deum canentibus eum conduxit* (8). Praefuit autem monasterio Sancti Jacobi tantum sex mensibus (9). Obiit Domnus Gerardus abbas S. Jacobi Sanctique Laurentii ecclesiae anno Domini 1197 (10) X. Kal. Novembris. Jacet in medio ecclesiae ante crucem juxta lampadem.

XV. Hugo « *qui ante resignaverat et fuerat 11^{mus} (11)* » et « *per 12 annos fuerat abbatia destitutus modo vero communi electione* » est reinstitutus (12); praefuit 4 annis et iterum resignavit anno Domini 1201 (13). Obiit autem anno Domini 1203 (14) nonis Novembris; jacet ante armarium S. Benedicti.

XVI. Theodricus qui de prioratu S. Trudonis est assumptus (15); praefuit per annum et postea resignavit anno Domini 1202 (16).

a. Idus. — b. idus.

1. Gérard, cardinal de S. Maria in via lata, se trouvait à Liège en 1154-1155. Cf. *Précis histor.*, 1881. 22-25; *Messenger des fidèles*, 1888, p. 394, note 4. — 2. *Annal. S. Jacob.*, p. 641; Lamb. Parv. 648. — 3. *Ibid.* — 4. Lamb. Parv., 648. — 5. *Annal.*, 642; Lamb. Parv., 649. — 6. *Annal.*, 642; Lamb. Parv., 649. — 7. Reiner, XVI, 653; *Annal.*, 642. — 8. Reiner, p. 653. — 9. *Annal.*, 642; Reiner, 653. — 10. *Ibid.* — 11. *Annal.*, 642. — 12. Reiner, 653. — 13. *Annal.*, 642; Reiner, 655. — 14. *Ibid.*, 657. — 15. *Annal.*, 642. *Le Cartulaire de l'abbaye de Saint-Trond* (éd. Piot.) mentionne un moine Thierry dès 1164 (p. 108) prévôt en 1184 (p. 147, 149) et prieur en 1200 (p. 159). — 16. *Annales*. 642.

XVII. Henricus de Juppilia, qui fuerat monachus S. Laurentii, praefuit 7 annis; postea, culpis exigentibus, deponitur per sententiam anno 1209 (1).

XVIII. Wazelinus, qui prius fuerat... (2) et custos de Florinis, praefuit 20 annis (2). Anno autem Domini 1217 « *benedixit sanctam synodum, episcopo absente, cum tali quali debuit reverentia et solemnitate* (3) », postea « *reliquit abbatiam et factus est monachus cystericiensis in Valle Sancti Lamberti* » anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo nono (4).

XIX. Theodricus praefuit 14 mensibus (5) et « *Dominica in octavis Pentecostes ad synodum Hoi veni, et sequenti feria quinta ibi est defunctus*, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo in valle benedicta monialium cystericiensis ordinis est sepultus » (6) VIII. idus Junii.

XX. Johannes, qui ab Innocentio Papa quarto gratis decoratur mitra et pontificalibus, sed ipse non portavit (b), anno Domini 1248 (7); obiit quinto idus Januarii.

XXI. Michael « *primus abbas portans mitram* » obiit anno Domini 1283 (8); jacet sepultus in introitu chori. Isti duo abbates praefuerunt 53 annis.

XXII. Wilhelmus de Julemont fuit confirmatus anno Domini 1283, VIII. idus Novembris; « *qui cooperante Deo religionem ante desolatam ad statum honestae conversationis elaborando revocavit* (9) ». Praefuit 18 annis; obiit anno Domini 1301 XIV. Kal. Maii (10). Jacet in medio capellae Domini abbatis.

XXIII. Michael, *postulatus de Gemblaco*, praefuit 4 annis et postea resignavit abbatiam anno Domini 1305 in festo S. Michaelis, *recedens ad locum suum* (11).

XXIV. Wilhelmus de Bever, qui prius fuerat superior 11 annis, et in octavo anno ordinationis suae, VII. idus Junii, *feria quinta post Penthecostem inchoatum est dormitorium et primum lapidem reclinavit* (12). Obit autem pie memoriae praefatus abbas domnus Wilhelmus de Bever anno Domini 1316 IX. Kal. Aprilis (13); « *vir religiosus valde et devotus qui dormiebat super linteamina de cilicio* (14) » et tamen multum hilaris et jocundus erat, et sciendum quod quarto anno incepti operis dormitorii construendi dormivit in Domino jacetque sepultus a dextris introitus chori.

XXV. Henricus dictus Cosins praefuit 26 annis et post resignavit dignitatem

a. Il y a une lacune dans le manuscrit. Il manque peut-être *monachus*. — b. Le manuscrit donne la variante suivante : Johannes cui ab Innocentio Papa quarto mitram et pontificalia Ecclesia Leodiensis impetravit, ut sequentibus instrumentis constat.

1. Reiner, p. 661-662. Nous croyons qu'à la ligne 52, où le Codex donne *H. prius abbas*, il faut lire non *Hugo*, mais *Henricus*. — 2. Il fut investi à Fosses, le 16 décembre 1209, et béni le 25 (Reiner, p. 662). — 3. *Ib.*, p. 676. — 4. *Annal.*, 642. — 5. Les *Annales* disent 13 mois : Reiner a. 14. (p. 681). — 6. Reiner, p. 680. — 7. *Annal.*, 643. — 8. *Ib.* — 9. *Ib.* — 10. *Ib.* — 11. *Ib.* Le *Gallia* (III, 983), donne son épitaphe, d'après laquelle il mourut le 23 avril 1319. Il figure comme aumônier de Gembloux dans une charte de Florennes de 1299 (Cf. plus haut p. 35). — 12. *Annal.*, 644. — 13. Les *Annales* donnent le 10. — 14. *Ib.*, 644.

pastoralem ; obiit autem anno Domini 1342 ⁽¹⁾ in die Martini ⁽²⁾, sepultusque est in capella Domni abbatis a dextris Domni Wilhelmi abbatis.

XXVI. Johannes dictus Pullus praefuit 9 annis, « *vir humilis, parum videbat de uno oculo, coquinam novam et multa alia aedificavit* » ; obiit autem anno Domini 1351, XI. Kal. Maii ⁽³⁾ sepultusque est in capella domni abbatis juxta domnum Wilhelmum de Julemont a sinistris.

XXVII. Gerardus de Awans praefuit 10 annis ; obiit anno Domini 1361 Kal. Aprilis ⁽⁴⁾ sepultusque est ante ostium capellae domni abbatis.

XXVIII. Helinus praefuit 11 annis ; obiit autem anno Domini 1372, pridie nonas Junii ⁽⁵⁾ sepultusque est ante S. Mariam sub turri.

XXIX. Nicholaus de Jardino ⁽⁶⁾ praefuit 21 annis, infirmariam, granarium novum et plura alia aedificia aedificavit. Obit autem anno Domini 1393, VI. Kal. Julii ⁽⁷⁾ jacetque sepultus a dextris introitus chori.

XXX. Bertrandus de Veteri Vineto ⁽⁸⁾ praefuit 8 annis ; obiit autem 1401 VI. Kal. Octobris et duodecim fratres cum ipso de epydemia ⁽⁹⁾, jacetque sepultus a dextris introitus chori.

XXXI. Joannes Sordeille de Leodio, vir simplex et rectus ac timens Deum, cujus temporibus incorporata fuit ecclesia de Seranio ⁽¹⁰⁾ huic coenobio Sancti Jacobi ; praefuit 7 annis, postea onus praelaturae non sponte susceptum laetus resignans, anno scilicet Domini 1408, aegritudine nimia confectus et senio apud Sanctum Leonardum obdormivit in pace, anno Domini 1428, XIV. Kal. Martii sepultusque est in opposito capellae domni abbatis ⁽¹¹⁾.

XXXII. Reynerus de Sancta Margarita praefuit 27 annis cum dimidio et in XII^o anno suae ordinationis, XIV. Kal. maii, in die Ursuarii jecit fundamenta novi chori usque ad altitudinem fenestrarum dormitorii ab illa parte, ab alia parte usque ad vitreas novi vestiarii, inductus et suffultus facultatibus strenui et ingenui militis domini Engelberti de Marcha mille coronarum aurearum ⁽¹²⁾. Obit autem praefatus abbas domnus Reynerus anno Domini 1436 ⁽¹³⁾ idibus Martii sepul-

1. *Annales*, 644. — 2. La date du 11 novembre est donnée dans le MS. E. 68, (*Catalog. bibliothecae S. Jacobi*, par Bouxhon. Bibl. de Bruxelles, n° 13993, p. 54). C'est sous l'abbatit de Henri Cosins que l'abbaye de Saint-Jacques donna deux évêques suffragants à Liège. Cf. Ernst. *Tableau historique des suffragants*, pp. 102-105. — 3. *Annales* mais avec la date du 12 cal. Maii 4 — 4. Ibid. Sur l'élection de cet abbé, voir *Analectes*. XV. 34-41. — 5. P. 645. Helin était de Meffe. — 6. Élu le 5 juin. Il était de Herstal : cf. *Bullet. comm. royale d'hist.* 1^{re} série, IX, p. 70. — 7. *Annales* 645. — 8. Élu le 27 juin. — 9. *Chronicon* Cornel. Zantfliet ap. Martène *Ampl. Coll.* IV, 359. — 10. Seraing, Cf. *Bullet. comm. royale d'hist.* 1^{re} série, IX, 73. — 11. Le MS. A. 53 (*Catalog. p. 12*), fournit quelques détails historiques sur l'histoire de Liège à cette époque. Ils ont été reproduits dans le *Neues Archiv.*, XIII, 593, d'après le manuscrit conservé à Darmstadt : Cf. 600-601 ; *Catalog.*, p. 90^r. — 12. Engelbert de la Marck, S^r de Loverval, bienfaiteur du monastère, aida l'abbé dans la construction du nouveau chœur. Il mourut le 8 mars 1422 (*Épithaphes liégeoises*. MS. appartenant à M. le comte de Grunne, au château de Hamal, p. 139. — 13. Zantfliet ap. *Ampl. Coll.* V, 440. L'abbaye de St-Jacques fut, sous l'abbatit de Reiner, le foyer de la réforme monastique dans notre pays. Cf. notre étude : *Benedictiner-und Cistercienser-Reformen in Belgien vor dem Trienter Concil.* ap. *Studien und Mittheilungen aus dem Benedict. Orden.* 1887, p. 321-323. Aux témoignages donnés dans cet article, nous ajouterons le suivant tiré du MS. M. C. 3, de l'abbaye de Saint-Jacques, d'après le *Catalog. bibl. S. Jacobi*, p. 32. « Notatur quomodo fuerint vocati aliqui e nostris ab archiepiscopo Trevirensi ad reformandum monasterium S. Mathiae tempore D. Reneri de S. Margareta abbatis, quo etiam anno novum chorum in hoc monasterio inchoavit., 1420. »

tusque est in opposito ostii capellae domni abbatis ad latus domni Joannis Sordeille praedecessoris sui.

XXXIII. Ruthgerus de Bloemendael, juvenis valde morigeratus, ante promotionem suam satis devotus, electus concorditer in abbatem ⁽¹⁾, confirmatus fuit per concilium Basiliense, nec de alia confirmatione a sede apostolica obtinenda laboravit ⁽²⁾, et licet Dominus Papa Eugenius hoc aegre ferret, tamen abbas nullas inde molestias sustinuit, quod ^(a) illi monasterio multum profuit. Eo tempore, domno Reynero vivente, monachi Sancti Jacobi per mandatum Domini Leodiensis, exceptis infirmis, a carnibus abstinebant, et in observantiis regularibus valde religiose vivebant; quidam autem a carnibus abstinere nolentes exiverant. Quorum unus scilicet Gerardus Peureal in Francia ordinem cystericiensem intravit, sed facta professione rediit Leodium et stetit apud sororem suam Le Plenchesse, et deserviebat hic et ibi vacantibus ecclesiis parochialibus, obiitque Leodii et ob preces sororis suae et amicorum sepultus fuit in Sancto Jacobo circa annum Domini 1453. Nonnus Johannes de Marchia post duos annos iterum rediit ad Sanctum Jacobum, postmodum religiose conversando ibi; obiit in officio supprioratus. Nonnus Nicolaus de Sancto Trudone ivit ad curiam Romanam et intendebat impetrare prioratum S. Severini ⁽³⁾ et ^(b) Romae obiit. Dominus Petrus de Winne turpia reliquit vestigia et in carcere Stabulensi propter transgressiones positus inventus est mortuus. Aliqui etiam seniores rebelles missi ad Sanctum Leonardum comedendo ibi carnes in brevi obierunt ⁽⁴⁾. Haec contigerunt tempore Domni Reyneri abbatis de quo satis mirabile contigit in villa de Bachege ⁽⁵⁾. Nam monasterium Sancti Jacobi habebat ibi unam curiam, domum et vineam quam dominus abbas Reynerus aliquando visitare solebat, quam postea unus spiritus intrabat et molestabat. Quadam die infra primam et secundam horas post prandium, cum ibi esset nonnus Wilhelmus de Bergis, tunc utpote procurator et computator Sancti Jacobi, et in una parte villae colloqueretur cum domino Johanne investito ipsius villae, fratre magistri Tilmanni, venit quidam vir pauper de Francia ante domum abbatis eleemosinam petens, venitque et apparuit una manus per fenestram camerae abbatis, et posuit unum album in manu ipsius pauperis; quem cum ille sentiret, coepit viribus corporis omnino destitui, et clamabat alta voce « *confession, confession, confession* »; accurrentibus praedicto nonno Wilhelmo et investito, et interrogantibus quid sibi esset, nihil aliud dixit nisi

a. qd. — b. Cod. in

1. « Cui subrogatus est unanimi concordantia fratrum D. Rogerus cognomento de Blomendale, annorum minus triginta. Zantfliet, p. 440. — 2. *Histor. S. Laur. Leod.* ap. Martène, IV, 1132. — 3. Prieuré de l'Ordre de Cluny, Province de Liège. Cf. de Ryckel. *Les communes de la province de Liège* pp. 507-508. — 4. Le 17 mai 1439, Henri de Mérode fit profession à St-Jacques et fut béni abbé de Stavelot le 21. Cf. Zantfliet, p. 445. Il emmena quelques moines de St-Jacques pour rétablir à Stavelot l'observance régulière. (MS. E. 4, p. 39^v). En 1440, l'abbé de St-Paul d'Utrecht obtint également deux moines de St-Jacques (ib., p. 40), dont l'un D. Pierre Cortoy de Thorembais, transcrivit le MS. G. 40 (p. 106) en 1440. — 5. Bassenge sur le Geer où l'abbaye avait une propriété qui lui fut confirmée par Lothaire III, en 1134 (Quix. *Codex dipl. Aquensis*, I, 87).

« *confession* » et « *sacrament* » ; ductus et portatus in domum, spasum passus est, et post modicum rediens ad seipsum confessus fuit et retulit quid sibi accidisset. In eadem nocte spiritus supradictus de lecto domni abbatis fecit unum feretrum in medio camerae cum supellectili lecti supra duas stragas mensatenus sicut fit pro mortuis, quod interpretatum fuit a multis praesagium esse mortis abbatis, qui sequenti anno obiit. Hic Reynerus reverendus praelatus fuit multum honoratus et bene visus apud magnates, sapiens et circumspectus in consiliis. Ipse concessit Henrico Adae sex monachos ad reformandum suum monasterium, sed monachi Sancti Laurentii, convocatis amicis suis saecularibus, eos expulerunt (1). Ipse misit ex fratribus suis ad reformandum monasterium Sancti Mathiae in Treverim ; ipse misit etiam duos ad videndum observantias ordinis nostri in Saxonia (2). Fuerunt etiam missi religiosi Sancti Jacobi in Gemblaco (3), et domnus Johannes de Diest fuit factus decanus Stabulensis, sed parvum profectum ibi fecit (4).

Cum igitur Domnus Ruthgerus esset benedictus in abbatem, statim venit bulla de concilio Basiliensi de celebrando concilio provinciali in Colonia, et ipse nominatus fuit unus de praesidentibus (5). Igitur ipse citavit omnes praelatos ordinis sui in dioecesi Leodiensi, qui ibi comparuerunt. Conventus autem Sancti Laurentii, quia jam dissensionem habebant cum abbate suo, miserunt ibi domnum Johannem de Yride confratrem suum pro se ; abbas misit priorem qui nomine abbatis fecit ibi quaerelam in capitulo contra ipsum fratrem Johannem et conventum. Abbas Sancti Jacobi fuit cum priore, sed alii praesidentes absolverunt omnes et dederunt priori litteras ad abbatem, qui constitueret omnes pecunias quas conventus mutaverat ab amicis suis, et omnes absolveret qui miserant eum, quia abbas eos suspenderat. Cumque prior respondisset quod non auderet illas litteras portare, praeceptum fuit sibi sub poena excommunicationis quod obediret. Abbates igitur inter se ordinaverunt aliquas constitutiones et quod capitulum futurum celebraretur in Sancto Jacobo. Cumque haec publicarentur, abbas S. Jacobi dixit quod non auderet in hoc consentire, nisi prius colloqueretur cum episcopo dioecetano. Tunc alii praesidentes confusi nescierunt quid dicerent, male contenti quod hoc prius abbas in conclavi non allegaverat, et sic mansit negotium infectum quantum ad dioecesim Leodiensem. Ipsi vero deinceps celebraverunt concilia sua, et licet paulatim, tamen per eos multa fuerunt monasteria reformata.

Domnus autem abbas Ruthgerus, levi usus consilio, assumpsit sibi administrationem, et orta est discordia inter ipsum et seniores super antiquis consuetudinibus. Statim deposuit priorem Bartholomaeum qui eum elegerat et alios officiatos

1. Voir la Vie de l'abbé Henri Adam, ap. *Analectes pour servir à l'hist. eccl. de Belgique*, t. XX, p. 428. — 2. Au monastère de Bursfeld, berceau de la célèbre congrégation de ce nom. — 3. Cf. *Gallia Christ.*, III, Instr. 131. — 4. Jean de Diest contribua à la réforme de Saint-Hubert (Robaulx de Soumoy. *Chronique de Saint-Hubert*, 1847, p. 179.) — 5. La bulle du 12 février 1437 a été publiée dans les *Studien und Mittheil. aus dem Bened. Orden*, 1885, II, 301-303. Cf. Zantfliet, p. 441 ; Jean de Stavelot, p. 330.

fecitque priorem domnum Martinum de quo postea lis surrexit. Nam licet D. Martinus fuisset bonus religiosus, tamen ad carnes erat valde inclinatus, et fratribus incompassivus, in increpationibus nimis severus et contumeliosus; abbas autem omnibus erat affabilis, et dulcis et benignus. Et sicut scriptum est : « qui minima spernit paulatim defluet », in brevi per dispensationes et recreationes coepit vigor tepescere, et primo inceperunt prima et ultima die minutionum ^(a) carnes gustare. Deinde coepit abbas nunc hos, nunc illos vocare; postea in dispositionibus prioris positum fuit nunc hos nunc alios ad infirmitorium destinare, et sic aliqui haec videntes graviter ferebant sic ordinem deperire. Sed et exteriora ceperunt minui et monasterium debitis obligari. Quapropter frater Petrus de Thorebasio ⁽¹⁾ exivit de monasterio, et quia nonnus Iohannes de Yride, supprior Sancti Laurentii, ex invidia, quia religionem in Sancto Laurentio inceperat et fortiter tenebat, per civitatenses Leodienses in carcere injuste positus fuerat, et per fratrem Johannem de Balancia ex carcere liberatus et in Trevirim susceptus, Romam redire volebat, idem frater Petrus cum eo Romam ivit, et a domno Arsenio, abbate S. Pauli, cui acceptissimus fuit, bene susceptus, hanc bullam impetravit : « Eugenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Bartholomaeo priori Carthusiensium in Rulmont, Jacobo priori Carthusiensium prope Leodium, Arnolde de Emrode, canonico Leodiensi, salutem et apostolicam benedictionem. Inter assiduas curas quibus cotidianis emergentium nobis negotiorum perurgemur instantiis, praecipue sollicitat mentem nostram ut ecclesiae et monasteria aliaque ecclesiastica et monastica loca taliter regantur et gubernentur, ut laudabilis gubernationis et pacis et tranquillitatis dulcedine gaudeant, et non solum in eorum diu observatis statutis conserventur, sed felicia in suscepta gubernatione temporaliter et spiritualiter suscipiant incrementa. Sane nuper auditui nostro fide digna relatio patefecit quod in monasterio Sancti Jacobi in civitate Leodiensi, in quo satis copiosus monachorum numerus et regularis observantia laudabiliter vigere solebat, fraudulenta hostis antiqui operante versucia, per Rutgherum ipsius monasterii abbatem, hactenus talia sunt commissa quod monachorum numerus diminutus, et observantiae regularis vigor destitutus extitit. Quibus ex causis ipsius monasterii bonis exinanitis, et plurimum deterioratis fructibusque et redditibus pauperum distributis et localibus illius venundatis, monasterii et monachorum hujus modi utilitatibus minime invigilatur, sed intolerabili debitorum onere aggravatur, et bona mobilia et immobilia hactenus dicto monasterio, ob vitae et religionis devotionem contributa, cotidie distrahuntur et alienantur, in maximam eorum qui predicto monasterio praesunt confusionem, necnon conventus monachorum que..... jacturam et scandalum plurimorum, adeo quod si talis inordinata fluctuosaque gubernatio diutius continuaret, procul dubio regularis observantia

a. Cod. *munitionum*

1. Pierre Cortoy de Thorembais était un des deux réformateurs de l'abbaye de Saint-Paul d'Utrecht.

in eodem monasterio in brevi collapsura videatur. Quibus omnibus nisi celeris provisionis adhibeatur remedium, de facili possit, quod absit, spirituale ac temporale damnum necnon irreparabile gravari. Nos igitur attendentes quod, veris existentibus supradictis, praefato monasterio opportune remedium providere compellimur, cupientes etiam suspectis dum adhuc tenera sunt obviare principiis, discretioni vestrae, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, tenore presentium committimus ac in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus vos aut tres, aut duo ex vobis, omni excusatione semota, ad praefatum monasterium personaliter accedentes, et solum Deum prae oculis habentes, monasterium ipsum hac vice dumtaxat, autoritate nostra, tam in capite quam in membris visitetis, et de vita, regimine ac statu spirituali et temporali abbatis ac monachorum praedictorum diligentius inquiretis, ipsumque monasterium dirigatis et instituatis juxta datam vobis a Deo prudentiam, causas infrascriptas inquirere satagentes. Et si per inquisitionem ipsam praemissa veritate fulciri et talia fore propter quae abbas de jure ab administratione dicti monasterii videatur merito suspendendus, ipsum a regimine et administratione suspendere et amovere curetis, ac alium inibi quem major aut sanior pars conventus hujusmodi unanimi consensu eligendum, ac idoneum fore duxerint loco ipsius amoti, eadem autoritate deputetis, usque ad nostrum beneplacitum duraturum. Et nihilominus reformationi ipsius monasterii, ex qua eternam retributionem consequemini intendentes, ea quae ibidem ulterioris correctionis seu reformationis officio noveritis indigere, autoritate praefata corrigatis et etiam reformetis, prout secundum Deum et ejusdem ordinis constitutiones, pro utilitate ipsius monasterii et personarum in illo pro tempore degentium quiete et felici regimine vobis videbitur faciendum, privatione Rutgheri ipsius nobis reservata tantummodo. Contradictores quoslibet et rebelles cujuscumque status, gradus, conditionis vel ordinis fuerint, praefata autoritate per censuram ecclesiasticam et alia opportuna juris remedia, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus ac privilegiis indultis, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, qua vestrae possent in hujusmodi commissione potestati ejusque libero officio quomodolibet obviare. Praeterea cum venerabilis noster Johannes, episcopus Leodiensis, pro sua res et honorem Dei concernentia maxima devotione et pro debito sui pastoralis officii ac pro conservatione praedicti monasterii facere cupiverit, in quibus fuit multipliciter impeditus, Nos cupientes in praemissis et aliis per vos diligenter intendi, ac ad omnia advertentiam habere, ut detectis erroribus et earum causis medicina salubris valeat adhiberi, vobis earundem praesentium tenore mandamus quatenus investigetis utrum praedictus abbas observaverit vel observare jusserit quae ipse Johannes ordinaverit, et sancte observanda constituerit, ac de poenis contrafacientibus impositis.

Sed et quas haereditates, pensiones, portiones et jocalia contra juramentum vendiderit, locaverit aut penitus alienaverit, atque in quos usus [vel] pretium exposuerit.

Et numquid bene et prudenter réxerit temporalia, praeservando monasterium suum a debitis. Cumque constiterit de debitis, sciscitari debet causa hujusmodi debitorum, videntes etiam si magis expertos in temporalibus elegerit ad gubernandum temporalia, et utrum id fecerit consilio fratrum suorum, ac etiam si aliquos colonos proficuos amoverit, dando accensas monasterii minus proficuis sine consensu conventus. Explorantes insuper numquid priores, computatores, cellerarios et alios officiales ab officiis suis amoverit, et alios constituerit, et quare, et quomodo, et utrum haec omnia cum consilio sui conventus effecerit. Quaerentes etiam si germano suo aut aliis consanguineis et fautoribus quibuscumque non egenis aliquid dederit de bonis monasterii, tenendo aliquos ex ipsis consanguineis, vel alia commoda eis faciendo superflue de bonis monasterii. Et an diviserit bona monasterii sine acceptione personarum, dando unicuique fratrum prout opus esse constabat. Et si posuerit in praepositura Sancti Leonardi aliquos fratres nimis juvenes, unde monasterium scandalizatum fuerit. Interrogantes quoque si aliquos de fratribus suis correxerit animo vindicandi se, non respiciendo dumtaxat ad emendationem ipsorum, et quare, et quomodo correxerit eos. Investigantes etiam diligenter utrum abbas ipse verbo et exemplo fratres suos aedificaverit, omnem diligentiam adhibendo circa salutem animarum.

Et si fuerit in culpa quod aliqui notabiles a loco recesserunt, et praecipue quod illi duo nuperrime apostatarunt. Et numquid aliquos juvenes plus permittit evagari quam expediat. Et si in relaxationibus et licentiis fratrum sit personarum acceptor, quia qui eosdem labores portant, necesse est ut convenientibus solatiis recreentur.

Scire etiam curantes, si habuerit singulare vinum, singularem panem, singularem cerevisiam, furraturas ex diversis pellibus, quae non frigus solum pellunt, sed vanitatem et superfluitatem contra honestatem religionis sapiunt; aut alia quaeque vestimenta singularia magis curiosa ac praeciosa quam deceat praelatum sui ordinis. Et si habuerit plures equos, scutiferos aut familiares quam expediat, viso quod monasterium est obligatum debitis et quod ista minus decent praelatos religiosos, ex quibus monasterium nimio debitorum onere aggravatur.

Inspicientes etiam rationem reddituum ac pensionum monasterii quibus scilicet, et pro quo pretio illa vendiderit tempore sui regiminis. Scientes etiam si conformet se fratribus in cibo et potu, comedendo in refectorio quando nulli adsunt hospites; et utrum dormiat in dormitorio, et si in camera dormiat, utrum omnia lectisternia sua similia sint, etiam tempore sanitatis, lectisterniis fratrum, et an semper, cum potuit, venerit ad quatuor horas principales, sicut consueverant sui praedecessores, matutinas scilicet, majorem missam, vesperas et

completorium. Explorantes etiam si, tempore quo monasterio praefuit, illud gubernavit equitando foras sine necessitate conventui nota, vel invitando aliquos hospites divites in camera sua, si carnes comederit indifferenter cum maxima fratrum confusione, et si in hujusmodi commensationibus vocaverit semper aliquos ex suo monasterio, praesertim senes, ad vitae exemplum, pro edificatione proximorum, sicut consultum erat, si, quandoque pro loco et tempore contingebat, cum saecularibus carnes comederit. Et postremo videntes, audientes, explorantes et intelligere satagentes utrum monachos tenuerit in tribus votis principalibus, videlicet, paupertate, castitate et obedientia, illaque fecerit ipse et adimpleverit secundum B. Benedicti regulam et ejus ordinis constitutiones, decreta et laudabiles ipsius monasterii consuetudines, prout est obligatus.

Volumus autem et visitatione, correctione ac reformatione et suspensione supradictis ad eundem locum, statum et terminum, qui vobis decens et rationabilis videbitur, perductis, processum superinde confectum et alias informationes quas in ea re habere poteritis a fratribus ejusdem monasterii per visitationem vestram in suis circumstantiis examinatis, Nobis sub sigillo scribere et mittere curetis, et tandem aliter providere aut aliud inde facere differatis, quousque vobis de Nostra intentione poterimus respondere, proviso quod ea quae per vos correcta, suspensa et reformata fuerint, interim diligenter observentur. Datum Romae apud Sanctum Petrum 21 Augusti, anno M^o CCCC^o XLIII^o, pontificatus nostri anno XIII^o. »

Cumque ista bulla fuisset portata Leodii, intimata fuit abbati S. Jacobi, qui venit in capitulum et proposuit inter caetera, quod intellexisset murmur oriri in conventu de regimine monasterii, si aliqui scirent convenientiorem modum gubernandi, ipse esset optime contentus. Habuitque amicos apud Dominum Leodiensem et praecipue sigilliferum, ita ut ista bulla non fuit executata. Cumque frater Petrus de Thorebasio, qui eam cum instructionibus fratrum impetraverat, introisset ordinem Carthusiensem, defuit procurator.

Abbas tamen domnum Mathiam de Limborch revocavit de praepositura S. Leonardi, et per modicum tempus fecit eum suppriorem S. Jacobi, et superiorem S. Jacobi D. Petrum de Gemblaco fecit praepositum S. Leonardi, qui noluit illic ire, nisi haberet secum nonnum Cornelium (1). Post quindecim dies, domnus Petrus rediit ad monasterium, quia non potuit ibi stare. Abbas constituit domnum Cornelium qui noluit acceptare, nisi ad minus deberet ibi per tres annos stare, et habuit de hoc litteras abbatis et conventus sigillo sigillatas. Igitur ad solvendum debita, quae domnus Mathias ibi fecerat propter turrinam et propter cursum aquae, recepit mutuo unam summam pecuniarum ab amicis suis hinc inde.

Interim murmur in conventu non quievit, sed de die in diem coepit augmentari et interpellatus est Dominus Leodiensis, et anno LXV^o (2), Domnus papa

1. Corneille Menghers de Zantfiet MS. E. 56. *Catalog.* p. 51^r. — 2. Eugène I V mourut le 23 février 1447, à l'âge de 62 ans.

Eugenius obiit, sigillifer respondit quod haberent visitationem episcopi si vellent et non aliam. Illis temporibus semper erant quinque vel sex in Sancto Jacobo qui carnibus non utebantur, in quibus domnus Martinus satis durus fuit. Unde facta per ordinarium visitatione in Sancto Jacobo, Martinus prioratui renunciavit, petens se mitti ad Sanctum Leonardum. Revocatus Cornelius ostendit litteras suas sigillatas, sed abbas non curavit, sed et omnia revocavit. Igitur pecuniae, quas Cornelius mutuaverat cum difficultate, fuerunt solutae. Martinus etiam in praepositura multos dolores et displicentias sustinuit et in fine semper aegrotavit.

In diebus illis, cum monasterium S. Jacobi esset debitis obligatum, abbas mutuo duo millia florenorum recepit, pro quibus obligavit bona de Bergheyc, sic quod in quatuor portionibus redimere posset; quae non sunt redempta. Iste abbas plures obventiones tam ex hereditatibus paternis fratrum suorum, quam testamentis plurimorum suscepit. Domnus Arnoldus de Ordinghen miles expensas suas ibidem emit, et nova antiphonaria et lectionaria, matutinalia ibidem fieri propriis expensis fecit. Ipse abbas fratribus suis etiam nimis condescendit tam in diminutione divini officii quam in aliis discursibus, recreationibus et peculiis; fuit etiam satis socialis et non multum sumptuosus in expensis. Ipsius tempore, antiqui usus et consuetudines immutati sunt, sed non in melius. Cum Dominus Johannes de Heynsberch instituisset capellam cantorum in palatio, invitati fuerunt ad festum dedicationis ecclesiae S. Jacobi et decantaverunt ibi majorem missam, ac deinceps omni anno continuatum fuit. Sed et cantores cum monachis ad campos ire incoeperunt et convivii et festis interesse, quod non bene convenit statui devotorum religiosorum pro peccatis suis gementium. Abbas S. Laurentii pro honore episcopi semel eos in octavis S. Laurentii invitavit, et deinceps nec ipse nec conventus cantores requisivit, et licet de hoc murmurarent et obloquerentur, tamen de hoc non curabant nec abbas nec monachi. Postea cum lis inciperet inter Dominum Leodiensem et civitatem, domicellus Carolus de Lintris, pater domni Razonis, fecit sibi cameram in S. Jacobo et emit ibi expensas et ibidem obiit. Unde domnus abbas a populo et civitate satis dilectus fuit. Unde cum civitas daretur in manus ducis Burgundiae, domnus abbas fugiens versus Stabulaus captus fuit et spoliatus pecuniis, fuitque sibi Dominus Leodiensis multum indignatus, sed cito pacem habuit mediantibus amicis. Ipse multas expensas posuit circa curiam de Haretho; aedificaverat etiam curiam in Caster quae combusta fuit, propter quam reaedificandam se saepius ad Trajectum transtulit, et pro majori tempore deinceps ibi mansit. Sicque quando fugitivi redierunt de Francia, non fuit inventus in Leodio, sed erat in Trajecto; et ad habendum promptas pecunias pro ducendis jocalibus et mobilibus monasterii sui ad Trajectum et habendum centum coronas pro salvo conductu et custodia in itinere vendita fuerunt jocalia argentea et thuribula, scyphi et monilia pro majori

parte. Fuitque conventus S. Jacobi dispersus, unde abbas postmodum valde doluit. Cum igitur communis populus, civitate combusta, quotidie exactionaretur et coloni depauperarentur et ab abbate adhuc ducenti Rhenenses pro redemptione monasterii S. Jacobi peterentur, traxit rem cordi et ex tristitia infirmari coepit, et, accepta una purgatione, obiit in Trajecto, in die divisionis apostolorum anno Domini MCCCCLXXI. Et cum Dominus Leodiensis tunc fuisset in Trajecto, ita caute per currum corpus abbatis ductum est Leodium, quod omnes latuit (1).

Electusque fuit ibidem in abbatem XXXIV domnus Conrardus de Molendino, tunc prior monasterii, factaeque fuerunt pro abbate defuncto solemnes exequiae, omnibus ecclesiis praesentibus; sed corpus positum erat in navi ecclesiae, sed monachi S. Jacobi et S. Laurentii cantaverunt vigiliis et missam in choro, nolueruntque illi de S. Laurentio dicere « Verba mea » nisi per XXX dies, licet hactenus dictum fuisset quod etiam deberent dicere per annum sicut pro abbate proprio.

Igitur Conrardus de Molendino, nepos magistri Petri de Molendino qui fuit decanus S. Pauli, electus in abbatem monasterii S. Jacobi, recepit bullas suas circa festa Nativitatis Domini, qui, dispositis negotiis necessariis, fecit se consecrari in abbatem in octava SS. Innocentium, quae fuit in die sabbathi. Et canonici, qui de ecclesiis fuerant invitati, quia dictum fuerat eis quod venirent cum habitu et cappis, sicut in hieme moris est canonicorum uti cappis nigris, quia non bene intellexerunt quales cappas portare deberent, detulerunt secum cappas sericas de ecclesiis suis et associaverunt se capitulo S. Pauli qui cappis erant redimiti. Igitur invitatus Dominus Leodiensis cum suis consiliariis, factum fuit prandium magnum et comederunt omnes in refectorio, tam Dominus Leodiensis quam omnes alii. Sed dominus Lyebertus, episcopus Beritensis, in benedicendo ipsum abbatem, fecit ita longum sermonem quod omnes attediati fuerunt.

Ordinatus igitur abbas reposuit domnum Wilhelmum de Bergis iterum in prioratus officium, a quo propter ipsum promovendum per domnum Ruthgerum amotus fuerat. Coepitque viriliter agere et agendis disponendisque rebus monasterii sagaciter se gerebat. Erat enim vultu amabilis et decorus, sapiens in verbis, affabilis et dulcis in moribus, corpore pinguis. Ipse statim in principio fecit fieri thuribula argentea et emit scyphos pro conventu, fecitque de novo stabulum equorum et proposuerat se dare religioni et saecularia negotia cum consuetudinibus cantorum et festorum carnalium tempore praedecessoris sui introductorum proposuit (2). Sed quia patria Leodiensis erat adhuc sub regimine ducis Burgundiae, et gabellis subjecta, permisit ea convalescere et duraverunt per totum tempus suum. Et propter gratiositatem suam, etiam saepe contra voluntatem suam, frequentabatur ab hospitibus tam laicis quam ecclesiasticis. In causis ecclesiarum prudenter se habebat, et verbum praelatorum gratiose coram ecclesiis et sincere

1. Son épitaphe se trouve dans le *Gallia* III, 985. — 2. Il y a une lacune dans la copie de Paris.

proponere, fuitque damnum magnum monasterio suo et ecclesiis quod ita subito excessit ab humanis.

Anno MCCCCLXXIV Patres capituli provincialis Coloniensis fecerunt citari abbates dioecesis Leodiensis ad solvendam poenam dupli juxta Benedictinam, ⁽¹⁾ eo quod non comparuerint in capitulo anno praecedenti ⁽²⁾. Qui accesserunt ad Dominum Leodiensem exponentes ei causam. Qui, informatione accepta per abbatem S. Martini Coloniensis, qui fuerat sibi locutus, cum esset Leodii et habuisset mandatum et saluum conductum a duce Burgundiae; propter quam causam Dominus Leodiensis omnes abbates ordinis S. Benedicti in dioecesi sua convocavit ad [feriam] ⁽³⁾ tertiam post octavas paschae anno MCCCCLXXIV. Qui omnes comparuerunt, excepto abbate de Vlierbeck, et comederunt omnes in S. Laurentio. Sed in hoc convenerunt major pars quod submiserunt se visitationi et correctioni Domini Leodiensis; abbas tamen S. Laurentii et de Florinis bene volebant mittere et subvenire capitulo, excepta visitatione, de qua volebant ulterius consilium habere. Missus igitur fuit ex parte Domini Leodiensis ad intimandam capitulo voluntatem Domini Leodiensis et submissionem praelatorum, et quod quilibet deberet se reformare, habuitque XXX florenos pro expensis. Fuerunt igitur electi ex parte Domini Leodiensis Dominus suffraganeus ejus Fr. Lyebertus, episcopus Beritensis, magister Henricus supradictus ⁽⁴⁾ cum uno canonico Leodiensi et deputatus abbas S. Trudonis ad visitandum in S. Jacobo et in S. Laurentio, ut ibi inceperetur et deinceps per ipsos alia monasteria visitarentur.

In diebus illis Dominus dux praeparavit se ad adjutorium Domini Coloniensis, ut reduceret eum iterum in archiepiscopatum suum per potentiam, et accersitis omnibus feodalibus suis, demandavit etiam dominum Wilhelmum de Marka ut serviret ei. Qui post multa dixit se praeparaturum ad serviendum ei, et incoepit congregare equos suos et monere suos ut se praepararent, famaue volabat quod illi de S. Laurentio multum haberent timere quia ipse inferret eis damna. Haec fuerunt circa festum Mariae Magdalenae. Igitur in principio Augusti, cum jam Dominus dux esset ante Nuciam, dominus Wilhelmus coepit segniter se praeparare et mittere equos suos in curiis abbatiarum et religiosorum, et in die Syxti misit suos in Mommelet, qui, quasi canes rabidi plus destruebant quam consumebant, dicentes aperte quod si totam abbatiam in una die possent dissipare, non dimitterent. Erantque coloni in magna angustia et abbas S. Laurenti erat infirmus, et conventus multum tribulatus. Quibus auditis Dominus Leodiensis demandavit dominum Wilhelmum quod veniret ad eum in via S. Laurentii; cui

1. Bulle de Benoît XII (1336) pour la réforme et l'organisation de l'ordre bénédictin. — 2. Les actes de ce chapitre provincial ont été publiés en partie par Kessel, *Monumenta ecclesiae Colon.*, t. I. 1862. *Antiquitates monast. S. Martini majoris*, p. 403-404. — 3. Il manque dans la copie le mot : feriam. — 4. Il n'en est pas question plus haut; ce passage semble être un extrait d'un autre document.

dixit vel dici fecit quod si vellet ire in adiutorium Domini ducis, iret ; si non, quod iret ad domum suam, et non destrueret sic ecclesias et patriam suam.

In crastino, scilicet in festo gloriosi martyris S. Laurentii, cum vicarius Domini Leodiensis venisset et audisset missam in ecclesia Nostrae Dominae in Sancto Trudone et iret versus Dominum Leodiensem, qui erat in domo abbatis in S. Trudone, venit dominus Wilhelmus praedictus qui expectabat eum ibi, et apprehensum traxit ad terram, et per seipsum et famulos suos crudeliter ibi fuit occisus magister Richardus, et in eadem hora obiit Leodii Gerardus de Healme, decimator monasterii S. Laurentii in Fexhe, quem aliqui de familia domini Wilhelmi ita vulneraverunt quod illa die obiit. Occiso igitur magistro Richardo, timor et tremor irruit super ipsum, in tantum quod, ascensis equis, infra duas horas cum dimidia fuerunt in Mommalia. At homines sui, consumptis omnibus quae erant in Mommelet, morati in Lonz, et occiderunt oves et vitulos, et demandati per dominum Wilhelmum in Agrimont, ea quae occiderant detulerunt secum.

In crastino igitur S. Laurentii, cum visitatio fieri deberet in S. Jacobo, demandatus fuit dominus Lybertus episcopus Beritensis per Dominum Leodiensem ut veniret ad eum in sancto Trudone. Qui perrexit illic cum abbate S. Trudonis. Abbas etiam S. Jacobi intendebat cum domino Johanne de Herbais, qua causa fuerit ignoro, ire versus Tornacum et petiit a Domino Leodiensi dilationem visitationis faciendae usque ad suum reditum. Ivit igitur dominus abbas S. Jacobi cum praedicto canonico Leodiensi ad Tornacum, cumque redisset ultima Augusti et esset circa Braxinas ante portas Sanctae Walburgis, nuntiatum est eis quod in Leodio esset magnum disturbium, et quod Francigenae et fugitivi vellent redire et essent in magno numero, et dominus Wilhelmus de Marcha cum eis et illi de Franchimont ultra Mosam. Qui consternati, auditis his novis, abbas scilicet et dominus Johannes fugerunt versus Trajectum ; capellanus autem abbatis solus intravit Leodium. Abbas autem, quia pinguis erat et festinenter equitando, se in interioribus aliquantulum laesit. Et revera, magnum disturbium illa nocte fuit in Leodio, et quilibet volebat fugere ; sed ballivus fecit clamari quod nemo fugeret.

Dominus Leodiensis fuit in Leodio, qui personaliter confortabat omnes ad manendum, quamvis aliqui consiliares sui fecissent bis tedas suas extinguere. Igitur, Deo volente, Dominus mansit et omnes secum, et convocatis omnibus de leuca bannali, in crastino S. Aegidii accepit deditionem castri de Egremont, et sic res modicum conquievit. Et feria secunda, Dominus Leodiensis fecit cantari specialem missam in ecclesia Leodiensi de sancto Lamberto, quam cantavit abbas S. Jacobi dominus Conrardus⁽¹⁾, qui deinceps aegrotare coepit, transeundo tamen per claustrum. Feria secunda sequenti de sero, habuit multos canonicos ad coenam, quibus tenuit societatem, non poterat tamen comedere cum eis. Interim fama volabat quod abbas S. Laurentii esset in transitu et abbas S. Jacobi multum infirmus. Illa

1. La copie porte Gerardus.

sera, magister Franco medicus et magister Dionysius miserunt abbati S. Jacobi unam purgationem de Trajecto, quam noluit accipere quia dicebat « caro abbatis chara est ». Tandem qui erant juxta eum consuluerunt sibi, et accepit. Qua accepta, statim delirare coepit et infra primam et secundam horam obiit anno Domini MCCCCLXXIV. Damnum magnum fuit ista subita mors ejus monasterio, quia si supervixisset, sperandum fuit quod multa bona fecisset.

Post cujus obitum conventus convenit in unum et dixerunt priori domno Johanni de Diest quod eligeret unum. At ipse statim elegit nonnum Arnoldum de Diest (1), compatriotam suum. Quo electo, renunciavit prioratui propter senectutem. Igitur conventus, quia non poterat stare sine rectore, elegit nonnum Nicolaum de Bruxella in priorem, qui exercuit officium prioratus et supprioratus usque dum abbas fuisset confirmatus, et tunc libenter fuisset absolutus et redisset ad S. Leonardum, ubi fuerat praepositus antequam fuisset electus in priorem. Sed a domno abbate obtinere non potuit, quia non inveniebat abbas aliquem quem faceret priorem. At, post multas instantias, tandem obtinuit ut, dimisso officio prioratus, iret ad praeposituram S. Leonardi ibique stetit per tempus. Sed cum inter abbatem Stabulensem et conventum suum dissensio esset propter domnum Severinum, decanum defunctum, et ambae partes arbitros elegissent, scilicet domnum abbatem S. Jacobi, decanum S. Pauli et decanum S. Crucis ex parte domni abbatis Stabulensis, et dominum Hubertum, episcopum Dariensem, magistrum Gerardum, custodem S. Lamberti et magistrum Symonem advocatum in curia Leodiensi, ipsi arbitri convenerunt in unum quod electio decani novi facta per conventum Stabulensem esset nulla, et virtute compromissi, ipsi arbitri nominaverunt fratrem Adrianum monachum S. Laurentii in decanum; qui cum non vellet renunciare loco professionis suae, electus est prescriptus domnus Nicolaus in decanum Stabulensem per abbatem et conventum. Qui ivit illic in die S. Aegidii, in die maximae pluviae et cum eo prior S. Jacobi, qui ibi requisivit ab eo an placeret sibi ibi manere et renunciare S. Jacobo vel secum redire; qui elegit ibi manere et sic prior absolvit eum, et ipse fecit ibi professionem consuetam fieri. Nonnus Renerus est (2) prepositus S. Leonardi, qui non vixit per annum.

Domnus Arnoldus de Diest, cum recepisset bullas suas, cum magna solemnitate fuit receptus, et a canonicis S. Pauli cum cappis in ecclesiam introductus in S. Jacobo, et cantatum *Te Deum laudamus*, coepitque fortiter se disponere ad gubernationem, etiam ultra praedecessores suos, recipiens ad se omnem gubernationem et erat principalis computator et faciebat quasi omnia.

Hic misit ad monasterium Stabulense duos de fratribus suis pro reformatione;

1. Arnoul Van den Berg de Diest (MS. G. 10, Catalog., p. 101). Ce manuscrit donne les noms de quelques moines : Nicolas Liverlo prieur, Nicolas Sordel maître des novices, Godescalc Rosmont chantre, Jean de Louvain diacre, Adolphe de Louvain prêtre, Grégoire de Milen cellerier, Arnold de Waremme, Engelbert vestiaire, Nicolas de Trajecto senior domus. Sur Jean de Diest, Cf. Paquot, *Mémoires*, II, 196. — 2. Il manque un mot, factus ou nominatus.

scilicet domnum Jacobum de Bavaria et domnum Gerardum de Harde, qui steterunt usque ad obitum domni decani Severimi, sed cum dominus Wilhelmus de Aremberch obtinisset civitatem, occiso Domino episcopo Leodiensi, ipse dispersit fratres suos et misit duos ad Stabulenses, scilicet fratrem Gerardum qui successit sibi in abbatia et fratrem Engelbertum et alios alibi. Ipse illo anno recepit multas pecunias de bladis suis, et fuerat constitutus procurator praelatorum ordinis nostri in dioecesi Leodiensi contra illos de Colonia, et personaliter ivit in Trevirim ad capitulum *Jubilate* anno MCCCCLXXX (1), et obtinuit licentiam a domino Wilhelmo et ivit ad Trajectum et ibi stetit, sed pace facta anno sequenti, propter pestilentiam, fugit de Trajecto ad Diest, et in itinere tactus est et obiit in die Donati, anno MCCCCLXXXIII, sepultus in S. Sulpitiï ecclesia ante majus altare in choro; qua tempestate obierunt et prior, cantor, dispensator, vestiarius cum aliis quinque, qui omnes, dempto uno, Christi sacerdotio fungebantur anno 1484.

Gerardus de Halyn, vir omni morum honestate praeclarus, ingenio subtilis ac studiosus, praefuit annis XVII. Obiit vero anno 1502, ipso die Agapiti, sepultus sub turri ante altare Deiparae virginis Mariae.

Servatius Moens, de Trajecto, confirmatus fuit anno 1502 et in octava Martini (2) obiit anno Domini 1506, sepultus in capitulo.

Johannes Crommoys, Leodii natus, promti simul et perspicacis ingenii vir, dissidentium indefessus pacificator, bene audiebat ab omnibus propter morum civilium suavitatem. Hic dilapsa inter seditiones et ob malignitatem temporum suae promotionis toto principio haud solum restituere, verum etiam nova moliri ad decus monasterii viriliter aggressus est. In monasterio domum boariam aedificari jussit, et interim sylvam super Anglur, ut emerat, ita per reverendissimum episcopum mox cardinalem nemoris principalem dominum, monasterio perpetuo incorporare obtinuit. Ecclesiam de Ernau vetustate consumtam a fundamentis restituit, dum Magdalenae sacellum in Monte Castrorum prope Trajectum (3) conflagratum ab impiis cum superaddito turris spectatu dignum reddidit; simul et impetravit Sellensis ecclesiae incorporationem (4). Exin vocatus a Domino, ante altare majus in medio chori, quem a domno Reynero derelictum, ipse usque ad navim ecclesiae exaedificaverat magnifice, sepelitur, postquam praefuit decem et novem annis, sesquimense minus, anno Domini MDXXV, die mensis septembris penultima. Epitaphium ejusdem patris nonno Paschasio Berselio loci Sancti Laurentii auctore :

Curvi-Mosane decus, flos, gloria relligionis

Siccine nos orbas hic situs ante diem ?

1. Il s'agit du chapitre provincial des Bénédictins. Cette date du manuscrit est fautive. Le chapitre de 1480 se tint à Saint-Martin de Cologne, celui de 1482 à Saint-Mathias de Trèves, Cf. *Recessus capit. provinc. dioc. Colon. Trevir.* (Ms. de l'abbaye de Melk, 135-136.) — 2. L'épitaphe dit : Martini post festum (*Gallia*, III, 986), et le MS. G. 48 (*Catalog.*, p. 107), la veille de l'octave. — 3. Castel près Maestricht. — 4. Seilles on Celles-lez-Waremme.

Omnis te sexus, aetas ordoque requirit
 Flagitat et patrem Legia tota suum
 Extinctus vives, domus haec te sacra loquetur
 Auspicio cujus tam bene structa nitet (1).

Nicolaus Balis (2) alias Lymborch, ejusdem monasterii computator, vir strenuus et admodum civilis; staturae parvae. Hic perfecit chorum, et ecclesiae navim usque ad turrim aedificavit decoravitque magnifice; glorieta super Mosam aedificavit, aedificium ad littus Mosae versus boveriam fecit, caeteraque aedificia a turri usque ad coquinam conventualem fecit. Sed morte praeventus, diversoria hospitem ante coquinam non perfecit. Praefuit annis 26; obiit anno 1551, quarto Calendas decembris, magnifice sepultus ante altare beatae Mariae virginis in crypta quam reparaverat satis eleganter (3).

Hermannus Rave, de Lymburgia, anno 1551, tertio calendas decembris electus est, juvenis bonae spei ex computatore, qui, quoniam bene ministraverat, bonum gradum promeruit. Hic pridie idus martii anno supra millesimum quingentesimum quinquagesimo secundo altera Gregorii in dominica *Reminiscere*, quo die consecrata est tota ecclesia, benedictus est, Gerardo Zulreo abbate divi Laurentii in pontificatibus agente, in praesentia R. P. D. Georgii ab Austria, episcopi Leodiensis, officium exequente Gereone suffraganeo. Obiit anno Domini 1583 undecimo calendas januarii circa horam XII.

Leonardus Geradon, a Montiniaco, prior, electus abbas anno 1583 decimo cal. januarii circa horam primam pomeridianam, anno sequenti nona septembris consecratus.

Martinus Fanson, Leodius, ex computatore in abbatem eligitur anno 15... (4)

1. Cf. *Les origines de l'église Saint-Jacques à Liège* par M. le doyen Schoolmeesters ap. *Conférences de la société d'art et d'histoire du diocèse de Liège*. Troisième série, Liège, Demarteau. 1890. pp. 47-68. — 2. Nicolas de Beaulieu (Fiefs de Namur, 14 avril 1526). — 3. Son épitaphe se trouve dans le *Gallia*, III, 986. — 4. La copie finit brusquement au milieu du chiffre.

DOCUMENTS INÉDITS

POUR SERVIR A

L'HISTOIRE ECCLÉSIASTIQUE DE LA BELGIQUE

PUBLIÉS PAR

le R. P. Dom URSMER BERLIÈRE,

BÉNÉDICTIN DE L'ABBAYE DE MAREDSOUS.

TOME PREMIER.

MAREDSOUS,
ABBAYE DE SAINT-BENOIT.

1894.